



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio secunda. Vtrum ratione vnionis data sit animæ Christi
supernaturalis gratia seu virtus ad facienda supernaturalia opera, seu
miracula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

*Virum omnipotentia Dei tota sit humanitati as-
sumpta communicata.*

Hoc loco referri posset error hæreticorum hu-
ius temporis, qui dicunt, per vnionem hypo-
staticam factum esse, vt attributa diuinæ naturæ ve-
re ac secundum se, humanæ fuerint communicata:
ita vt non solum per communicationem idiomaticam,
Christus sit omnipotens: sed etiam ipsa humanitas,
& cum reduplicatione Christus in quantum homo.
Sed hic error re ipsa coincidit cum errore Eutyche-
tis, & simul cum illo satis exploratus est, & iterum im-
pugnabitur inferius, cum generatim de communi-
catione idiomatica agemus.

Dico ergo primo, omnipotentiam Dei simplici-
ter, & secundum totam perfectionem suam nec fuisse
communicatam, nec potuisse communicari Christi
humanitati, atq; adeo Christum vt hominem, non
fuisse omnipotentem. Ita, præter D. Thomam hic
docent Theologi cum Magistro in 3. distin. 14. Bo-
nauem. art. 3. Ricar. artic. 2. Durand. q. 5. Palud. q. 3.
Gabr. q. 1. art. 3. dub. 1. Alenf. 3. part. q. 14. Et est res o-
mnino certa, euidenter enim sequitur ex certis prin-
cipiis fidei, definitur enim Concilia (vt supra vidi-
mus) naturas post vnionem mansisse inconfusas,
suasq; proprietates, facultates, & operationes dupli-
ces retinuisse; vt constat ex Concil. Chalcedon. act.
5. VI. Synod. actio. 4. 11. & 17. & concil. Lateran. sub
Martino, consultat. vltim. can. 9. 10. 11. & ex Leone
Pap. epist. 20. & aliis, quæ supra allegata sunt. Ex quo
constat, aliam esse potentiam humanitatis à poten-
tia diuinitatis, nam potetia actiua est proprietas na-
turæ, sicut ergo mâle duplex natura, ita duplex po-
tentia, ergo potentia humanitatis non est ipsamet
potentia diuinitatis, & consequenter nec potest esse
omnipotentia simpliciter, quia hæc tantum est vna,
& multiplicari non potest. Quod secundo ita expli-
catur, nam potetia humanitatis est distincta ab ipsa
diuinitate: ergo est potentia creata: ergo finita: er-
go non est omnipotentia. Vnde argumentor tertio,
quia vel intelligitur omnipotentia comunicata hu-
manitati formaliter, & per se ipsam, vel per donum
creatum. Primum intelligi non potest, nisi vel per
confusionem naturarum, vel quia ipsamet omni-
potentia increata vnita est humanitati rãquam for-
ma illam informans, & constituens omnipotentem,
quod repugnat, & ipsi diuinæ naturæ, vt supra osten-
sum est, & vnioni, quia talis esset vnio in natura,
quandoquidem omnipotentia, quæ est ipsamet na-
tura Dei, informaret humanam naturam, & com-
municaret illi suum esse. Si vero dicatur secundum,
constat, tale donum creatum, quodcumque illud sit,
non posse esse omnipotentiam simpliciter, nam &
perfectione, & entitate esset inferius omnipotentia
Dei; ergo & in virtute, & efficacia, quæ in perfe-
ctione fundatur. Quarto tandem hoc demonstra-
tur, quia ad omnipotentiam duo necessaria sunt. Pri-
mum, vt in obiecto omnia factibilia comprehendat.
Secundo, vt in modo agendi sit virtus principalis e-
minenter continens omnia, & independens à con-
cursu superioris agentis: neutrum autem horum
communicatum est, aut communicari potuit, Chri-
sti humanitati, quia nec potest esse principium pro-
ducendi omnia, saltem se ipsam, neque etiam potest
esse causa creationis, saltem principalis, quia ad hoc
requiritur virtus infinita. Vnde nec producere po-
test res perfectiores se, per modum principalis agen-
tis. Denique neq; in actione sua est independens, in-
diger enim diuino concursu. Quæ ratio probat, cir-
ca nullum effectum habere potuisse Christi huma-
nitatem omnipotentiam simpliciter.

Neque contra hanc veritatem aliquid obici po-
test, quod difficultatem habeat. Solum videtur

A Patres interdum ita loqui, scilicet, omnipotentiam
Dei esse communicatam Christo homini, vel eius
humanitati, vt constat ex Damasc. lib. 3. cap. 18. & ex
Nicet. lib. 3. Thesau. cap. 38. Respondetur, hæc & si
milia testimonia altero ex duob. modis debere ex-
poni, prout intentio, & contextus literæ postulaue-
rit. Primus est, quem attingit D. Thomas hic art. 1.
ad 1. per hanc vnionem ita esse coniunctam huma-
nitatem Verbo Dei, vt ratione illius possit hicho-
mo dei omnipotens per communicationem idio-
maticam. Secundus est, per hanc vnionem commu-
nicatam esse Christi humanitati specialē vim ope-
randi supra naturam ea opera, quæ sunt propria,
saltem vt diuinitatis organo, & instrumento, de qua
re videri potest Leo Pap. Epistol. 81. alias 83. ad Epi-
scopos Palestinos, Aug. lib. contra Felicianum Aria-
num, cap. 11. & Cyril. Alex. lib. 10. Thesau. cap. 9. & li.
Cyril. 12. cap. 15. & lib. 4. in Ioan. cap. 24 & lib. de Incarnat.
Vnigen. c. 1. & 2. Theodoretus dialog. 2.

B Dico secundo. Humanitas Christi ex vi solius v-
nionis ad Verbum, formaliter ac præcise sumptæ,
non est facta potentior ad operandum, quam ex na-
tura sua esset. Conclusio hæc intelligitur primum
de potestate ad reales, & phisicos effectus efficien-
dos, non enim agimus de effectibus moralibus me-
riti, & satisfactionis: nam ad hos multum confert
ipsa vnio, per se ac præcise considerata, vt supra di-
sput. 4. late dictum est. Deinde intelligitur, vt in ipsa
conclusionē dicitur, de vnione præcise, nam licet
ipsa vnio sit ratio, ob quam humanitati supernatu-
ralis virtus, seu potestas donatur, non est tamē ipsa,
qua humanitas potentior efficitur: vt recte Duran-
dus docet supra dicta dist. 14. quæstio. 5. & colligitur
satis aperte ex D. Thom. tota hac quæstio, præsertim
art. 1. & 3. Et probari sufficenter potest ex dictis su-
pra, disput. 18. sect. 4. vbi ostendimus, in actibus gra-
tiæ vnionem nō esse principium formale, quod hu-
manitatem reddat potentem ad ipsos efficiendos:
est autem eadem ratio de quocunque supernaturali
effectū, quia in omni actione principium agendi est
natura; substantia vero tantum est, quasi conditio
requisita humanitas autem vnita retinuit eandem
omnino naturam, & eandem formam; ergo de se
retinuit etiam eandem virtutem, & potentiam agē-
di. Et confirmatur, quia Verbum vnitum vt sic, non
habet ratione vnionis specialem influxū phisicum
in actiones humanitatis, quia huiusmodi influxus
ad extra, communis est tribus personis.

C Sed contra: nam perfectior existentia condeit ad
perfectiorem operationem: sed humanitas Christi
ratione vnionis habet perfectiorē existentiam; er-
go per vnionem formaliter potentior facta est. Pro-
pter hoc argumentum Ricar. dist. 14. artic. 2. quæst. 8.
cōtra hanc conclusionem opinari videtur. Sed pro-
cedit ex falso fundamento, humanitas enim ex vi
vnionis non habet perfectiorem existentiam, sed
substantiam, quæ non confert per se ipsam, ac for-
maliter ad perfectiorem effectum phisicum, vt di-
ctum est. Deinde, si essentia creata esset distincta en-
titas ab existentia, vt Ricard. videtur supponere, sic
negandum esset, existentiam per se cōferre ad actio-
nem, vt principium formale operandi, sed solum
esse conditionem requisitam: & ideo, quamuis iux-
ta illam sententiam humanitas Christi existeret exi-
stentia in creata, non propterea dicendum esset, per
ipsam vnionem formaliter, factam esse potentiorē
ad agendum.

SECTIO II.

*An ratione vnionis data sit anima Christi superna-
turalis gratia, seu virtus ad faciendā supernatu-
ralia opera, seu miracula.*

In hac re fere nulla est controuersia inter Theolo-
gos, & ideo breuiter dico primo, Christum Domi-
num

num per humanitatem suam vera miracula fuisset operatum, vnde necessario fit, illi humanitati communicatum esse virtutem supernaturalem ad miracula faciendam. Conclusio est de fide, vt ex vniuersa Euangelica historia constet, & specialiter Matth. 9. inquit Christus: *Vt autem scitis, quia filius hominis habet in terra potestatem remittendi peccata, dicit per alitico, surge &c.* vbi ex vno effectu supernaturali potestatem ad alium efficiendum confirmat: non quia effectus ille maior esset, sed quia euidentior, & ideo, vt Euangelista concludit; *Homines glorificabat Deum, quia dedit potestatem talem hominibus.* Plura testimonia afferemus in sequentibus. Ratio vera prima, & precipua est diuina voluntas, à qua omnis hæc gratia dimanat. Congruentia vero est: prima, dignitas ipsius personæ, secunda, officium doctoris; nam, cū Christus doceret nonam & supernaturalem legem, oportuit, vt doctrinam suam diuinis signis confirmaret, & præfertilim, cum se Deum, & Filium Dei esse diceret, debuit hoc operibus ostendere. Vnde Ioan. 5. inquit Christus: *Opera, quæ dedit mihi Pater, vt faciam, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* & cap. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* & cap. 15. *Si opera non fecerim in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* & ideo vnum ex signis, quod dederat Deus ad cognoscendum Messiam, fuit, quod mira opera esset factururus, vt constat Isai. 35. & Matth. 11. *Ite, & renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vident, dæm, claudi ambulant, &c.* Sed quæret aliquis, an hæc conclusio, non solum certa sit, sed etiam euidentis, suppositis iis, quæ de Christo narratur. Et est ratio dubij, quia ipsi Iudæi, qui ipsius Christi opera videbant, calumniabantur, non fuisse vera miracula, sed apparentia signa virtute dæmonum facta. Nec defuerunt alij, qui dicerent, illa opera fieri potuisse, vel ex virtute, & efficacia optimi temperamenti corporis Christi Domini, vel virtutis imaginatiua animæ eius, vt Ricard. hic refert. d. 15. arti. 2. quæst. 3. & latins Castro contra hæres. verbo, Miracula, & Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide, cap. 7. vbi latissime hunc errorem impugnat, quod superfluum duco, quia per se est incredibile, & prorsus absurdum. Respondetur ergo, sermonem esse posse, aut deis, qui opera Christi intuebantur, hominibus, aut angelicis, aut de iis, qui solum audierunt, ea esse facta: angeli ergo euidentissime cognouerunt, illa esse vera miracula, diuina virtute facta; & de bonis quidem angelis res est clara; de demonibus autem declaratur, quia euidenter experiebantur vim, & efficaciam humanitatis Christi in ipsos. Deinde intuebantur animam, v.g. Lazari, vere fuisse à corpore separatam, atque iterum eidem corpori coniunctam per veram informationem, similiter visum fuisse restitutum ei, qui illo caruerat: cum enim hic effectus, licet supernaturali modo fierent, in se tamen, seu in termino finit naturales, euidenter videntur ab angelis prout in se sunt, cognitione naturali. Est autem eidem angelis euidentis huiusmodi effectus illo modo non posse fieri naturali virtute, & ideo etiam mali angeli tergiversari non poterant. Homines vero non poterunt habere tam claram euidentiam, quia non possunt tam intime effectus in se ipsis intueri, sed solum, quantum per externa signa apparent. Nihilominus habere poterunt tantam euidentiam, saltem moralem, vt sine magna temeritate, & insigni malitia, repugnare non possent, vt ipse Dominus Ioan. 13. & 14. testatur. Et breuiter declarat, nā de ratione miraculi duo sunt. Primum, vt sit in solium opus, & extraordinarium, vel in effectum, vel in modo. Secundum, vt opus sit tale, quod per naturales causas fieri non possit; huiusmodi autem fuisse opera, quæ Christus faciebat, per se notum est, tum ex ipsiis effectibus, quales sunt suscitatio mortuorum, resurrectio visus, &c. tum ex modo, quia subito sine ulla resistantia solo impe-

rio hæc faciebat, & morbos etiam incurabiles ad quamcunque distantiam, sine impedimento interiecti corporis, & non ad modum agentium naturalium sed imperio suo sanabat:

Quod autem illa opera reuera talia essent, qualia apparebant, euidentis etiam esse potuit humana quadam & naturali euidentia. Primo ex multitudine talium operum, quorum effectus erant diuturni, & perseverantes, & in nullo eorum inuenta est fallacia, vel deceptio, cuius euidentis signum est, quod, cum sæpius, & multo tempore, & inter hos suspiciosos, qui maximo odio illum prosequébantur, hæc fuerit Christus operatus, nunquam tamen illi obiecerunt deceptionem, aut falsitatem in huiusmodi operibus, neque etiam vnquam aui sunt negare, vel Lazarum vere fuisse suscitatum, vel cæco a natiuitate visum vere relictum, quamquam interdum ignorantes, & impudenter calumniarentur, hæc fieri ex pacto cum demonibus, quasi vero ipsi demones talium operum auctores esse possent. Secundo id constare poterat vere euidentis experientia. Quis enim dubitare posset, eum, qui triginta & octo annis in lecto iacebat, vere fuisse infirmum? autem, qui subito visus est lectum suum portare, vere fuisse sanatum? Similiter erat euidentis, hominem cæcum a natiuitate vere caruisse visu: & similiter manifeste constare poterat, ipsum postea vere vidisse. Tercio, hanc veritatem maxime comprobabat ipseus Christi visa innocentissima, & rerum temporalium contemptus. Quarto, id conici poterat ex fine, & effectu talium operum, ideo enim illa faciebat, vt homines ad veri Dei cognitionem, & amorem, & ad virtutem, & honestatē prosequendam traheret: quo argumento vsus est ipse Matthæi 12. vt ostenderet, se non operari ex pacto demonum, quia omne regnum, inquit, in se desitum desolabitur, &c. His ergo modis potuit esse euidentis iis, qui Christum operam viderunt, & experti sunt, illum esse supernaturali, & diuina virtute fuisse operatum. At vero iis, qui ea non viderunt, sed audierunt, non potest hoc esse tam euidentis (vt per se constat) tamen est tam certum, quantum esse potest res aliqua, que non solum fide diuina constat, sed etiam fide humana tanta certitudinis, vt ab homine cordato in dubium reuocari non possit; in qua non immerito dici potest inesse quoddam genus humanæ euidentis, vt v. g. quod a Tito & Vespasiano Hierosolyma vianta fuerit, & similia: tam certum enim & euidentis humano modo est, & Christum hominem fuisse in mundo, & ea, quæ de illo narrantur, operatum esse, omnibus ergo constat, illum habuisse hoc miraculorum donum. De qua re plura dicentur in materia de Fide.

Dico secundo. Hæc virtus miraculorum fuit in Christo homine permanenter per modum habitus, in quo alios Prophetas seu homines sanctos speravit: alij enim non habent hanc potestatem quasi habitualement, vtilia, cum voluerint, vti possint; sed solum per modum cuiusdam actionis transcurrentium illam recipiunt, vt Gregorius tractatilib. *Greg. 14. 9. Thom.* dialog. cap. 31. & latius D. Thom. 2. 2. quæst. 178. art. 1. at vero Christus dicitur habere hæc potestatem permanentem, & per modum habitus, quasi sicut habitibus utimur, cum volumus, ita ipse arbitrio suo, & ad nutum suæ voluntatis, poterat miracula facere, iuxta illud Matth. 8. *Domine, si vis, potes me mundare.* Matth. 8. nam licet illud fuerit à leproso dictum, quod autem ex vera fide fuerit profectum, ipse Dominus ostendit, dicens: *Volo mundare.* Vnde Ioan. 11. cum ad suscitandum Lazarum Christus orationem premississet, propter eos, qui aderant, dixit, sed sciebat, non quod ipse indigeret. Ratio vero est, quia hæc virtus data est humanitati quasi proprietate consequens vnionem; sed ipsa vnio est permanens, & perpetua; ergo, Maior constat ex dictis scet. præced. & ex Con ci.

Concilio Ephesino, dicente, *carnem Christi esse uiu-*
ficatricem propter vnionem ad Verbum : in quibus ver-
 bis satis significatur, & vnionem ad Verbum esse ra-
 dicem huius potestatis, & vtrumque esse æque per-
 manens in Christi humanitate. Secundo, quia vo-
 luntas Christi hominis, etiam si humana sit, est ta-
 men voluntas diuinæ personæ, ergo oportuit, vt
 semper esset efficax, quantum absolute vellet: atq;
 adeo, vt haberet potestatem operandi miracula suæ
 voluntati subiectam. Tercio probari potest, quia su-
 pra ostendimus, alias gratias gratis datas animæ
 Christi, permanenter & per modum habitus fuisse
 concessas.

Obiectio. Sed contra, nam D. 1. hom. citato loco 2. indicat, fieri non posse, vt gratia miraculorum communicetur creaturæ per modum habitus. Respondetur, D. Thomam solum significare, non posse hanc gratiam esse qualitatem aliquam permanentem, & habitum intrinsece inherentem, qui sit principium omnium harum operationum, quod verum est, vt ego existimo, & infra latius dicam. Neque in hoc sensu assero, hanc gratiam esse permanentem, & per modum habitus in Christi humanitate, sed solum quia semper, æque perpetuo habuit paratum Dei cōcursum vel motionem necessariam ad miracula efficienda, quotiescūq; vellet, sicut nūc vere dicitur sacerdos habere potestatem consecrandi permanentem, & per modum habitus, quamvis necesse nō sit, eam facultatem esse habitum aliquem inherētem, qui sit proprium principium illius actionis. Et hanc cōclusionem bene docuit Vega lib. 7. in Trident. c. 14. dub. 2.

Sed quæres primo, quando fuerit hæc virtus data humanitati Christi. Respondetur breuiter, ipsam facultatem quasi in actu primo datam esse ab instanti incarnationis, quia (vt dixi) est quasi proprietas consequens vnionem, & nullum filii impediendum, quominus à principio dati posset: & ita docuit Anselmus, lib. 2. Cur Deus homo, cap. 13. in fine, at vero quoad vsum non constat, quando hæc potestatis vti ineeperit, quanquam enim lo. 2. dicatur, miraculum illud conuergeri aquam in vinum fuisse initium signorum Iesu, tamen non inde certo constat, illud fuisse omnino primum opus miraculosum, quod Christus in hac vita operatus est: sed solum fuisse primum publicè miraculum, cuius tam

D. Thom. gloriam suam manifestare, & doctrinam suam confirmare, vt recte D. Thom. infra q. 43. artic. 3. An vero ant illud tempus, aliqua miracula priuati fecerit non constat, quidquid enim de hac re scriptum est de infantia Saluatoris. apocryphum est. vt Gelasius Papa docet in cap. Sancta Romana. 15. dist. & Chrysost. hom. 16. in Ioan. Et Euthym. ac Theophyl. super Ioannem, absolute reijciunt, vt falsam sententiam asse-

rentē Christū in infantia mirabilia opera patrassē:
quāquam Chrys. omnia mirabilia signa, quæ facta
sunt in Christi nativitate, vt de stella, quæ Magis ap-
paruit, & similia, huic potestati & virtuti attribuat.
Sed fortasse hoc intelligit de Christo vt Deo, potius,
quā vt homine. Contra hoc vero referri posset hoc
loco eorum sententia, qui asserunt, Christianimæ
fuisse communicatam vim effectricem gratiæ ante
creationem suam, & vnionem ad Verbum, quæ vis
pertinet ad hanc potentiam operatricem supernatu-
ralium operum, vt supra dictum est: hæc vero sentē-
tia infra commodiori loco impugnabitur, est enim
(vt opinor) improbabilis.

Quæres secundo, quamdiu durauerit hæc gratia, seu potestas in Christi humanitate. Respondetur, ex quo illam accepit, nunquam esse illa priuatam: tum quia dona Dei sunt sine poenitentia: tum etiam, quia (vt dictum est) illa est proprietas consequens vniouem, quæ semper perseuerat: tum etiam, quia pertinet ad perfectionem illius humanitatis, & nõ includit imperfectionem statui beatitudinis repugnantem.

Dices. Postquam Christus ad cælum ascendit, nõ potest habere vsum huius potestatis. Respondetur, falsum hoc esse. Primo, quia si aliquid in mæ supernaturali, vel simile donum pertinens ad accidentariam beatitudinem communicatur Beatis, credibile est, per Christi humanitatem fieri. Imo probabile est, omne lumen gloriæ, quod factum est, & sit in animabus beatis per Christi humanitatem fieri, vt D. Thomas sentit infra, quæst. 52. artic. 2. vbi de animabus sanctorum Patrum in limbo existentibus loquitur, est autem eadem ratio de omnibus alijs, quæ postea beate sunt, & est hoc valde consentaneum dignitati Christi. Secundo verisimile etiam est, ipsam mortuorum resurrectionem, præsertim Beatorum, efficiendam esse per Christi humanitatem tanquam per instrumentum, nam totum hoc debet eius dignitati, & meritis. Et ad hoc non incommode applicari potest illud Ioan. 5. Scio Pater sufficit mortuos, & viuificat, sic & Filius, quos vult viuificat, quamuis enim hoc præcipue intelligatur de Christo vi Deo, qui æqualem cum Patre habet potestatem; tamen satis accommodate exponi potest de potestate communicata Filio, etiam vi homini, vt per carnem suam viuificat posset mortuos, sicut statim dicitur, Patrem omne iudicium dedisti. Filio, quod recte de Christo hominem intelligitur, vt infra suo loco dicitur: ita hoc, quod intendimus, docuit August. tract. 19. & 29. & sequentibus: & D. Thom. infra quæst. 56. Tercio, omnes gratiæ, vel supernaturalia dona, quæ in Ecclesia conferuntur, per Christi humanitatem conferri, satis pie, & probabiliter credi potest: nam ille est, qui principaliter baptizat, qui cõsecrat, qui sanctificat: hi autem effectus ad vsum huius potestatis pertinent. Nam licet istæ actiones iam non dicantur proprie miraculose, quia non sunt insolite, & sunt secundum ordinariam legem gratiæ, simpliciter tamen supernaturales sunt, & ad potestatem supernaturalem efficientem pertinent. Denique, sicut Christus nunc retinet, & perfectissime exercet dignitatem eapitis: ita & perfectõ modo influit gratiam per vsum huius potestatis. Scio, Andream de Vega. lib. 6. in Trid. c. 14. in fine, probabilis existimare, Christum in cælo nunc existentem non influere immediate in gratiam, quæ nobis confertur. Sed si intelligat, non immediate, id est, non sine alio instrumento propinquo, est id verum in iustificatione, quæ fit per sacramentum, non verò in alijs. Si vero intelligat (quod magis significat) humanitatem Christi per se non influere, nõ est improbabile, quod ait, verius tamen credimus esse oppositum, quia nulla est causa sufficiens ad negandam Christo hæc dignitas. Quod vero quosdam asserere audio, Christum per angelos hunc effectum conferre, intellectum de propria efficientia instrumentali, improbabile est, quia nullo fundamento, sed mere gratis asseritur: intellectum autem de causa ministeriali & morali, non est ad rem, vt per sese satis constat.

Tertio queri posset, quod sit ad æquatum obiectū
huius potestatis, quod est querere, ad quos eff. & se
extendat. Sed hoc explicabitur commodius post
sectionem 5. quia pender ex modo, quo hæc potestas o-
peratur.

SECTION III.

*An hæc potestas sit vere, & physice effectiva gratia,
& supernaturalium operum:*

Suppono, per potentiam phyſice actiuam, nos in-
telligere illam, quæ per realem & veram actionē
operatur, & à qua effectus rei ipſa pendet in ſuo eſſe.
Multi ergo autores negant humanitatē Chriſti po-
tuiſſe hoc modo eleuari, vt eſſet principium efficiēſ
opera ſupernaturalia, & præſertim gratiam de qua
frequētius auctores loquuntur, quanquam eorum
fundamentū generale ſit, Ita tenet Alexand. Alenſi.

p. 9.13.